



148 / 1952 S. 148. Deb - 1-11-25  
R. PRIMA SYNODUS


ORIOLANA  
SUB SANCTISSIMO  
DOMINO NOSTRO PIO V.

PONTIF. MAX.

REGNANTE INVICTISSIMO REGE NOSTRO CATHO-  
LICO, PHILIPPO II.

A GREGORIO GALLO,  
*Episcopo Oriolensi habita:*

XIX. MAII, ANNO CIC. IC. LXIX.



EDITIO SECUNDA SUPERIORUM PERMISSU.

Murciæ : Apud VIDUAM Philippi Teruel.

B1095201

English, 1852, No. 36

KINSEY

CHARTONIA 213


## THE EMPORIUM

2012 RELEASE UNDER E.O. 14176

RECENTE INIZIATIVA DI CITTADINI  
TUTTI A TUTTI

# A GEORGIA GUIDE

-XIX-<sup>1910</sup> ANNO XIX. -XIX-



EDITIONES CUNIGA SUPERIORUM PERMISER.

Jewist Aggiling MAAUCHIV Bosph : 20000M

(c) 2006 Ministerio de Cultura

**D**ON Ioannes de Ribera Dei &  
Apostolicæ sedis gratia Patriar-  
chia Antiochiæ , ac Archiepiscopus Va-  
lentinus , Regiusque consiliarius , &c.  
Tenore præsentium copiam facimus &  
facultatem , ut quicumque librorum Im-  
pressor huius nostræ Diœcesis absque  
aliquarum pœnarum incursu Synodum  
Diœcesanam in civitate Oriolensi hu-  
ius nostræ provinciæ per Reverendissi-  
mum dominum Gregorium Gallo dic-  
tæ civitatis Antistitem , anno præsenti  
habitam , & celebratam , de mandato  
nostro visam & examinatam , & nihil  
contra Catholicam fidem nostram , ac ca-  
nonicas sanctiones in se continentem , &  
manu nostri Vicarii generalis subscri-  
ptam , typis mandare ac imprimere pos-  
sit

sit & valeat. Dat. in Palatio nostro Pon-  
tificiali Valentino , die decima octava  
Augusti , anni millesimi quingentesimi  
sexagesimi noni.

*El Patriarcha Arzobispo  
de Valen.*

De mandato Illustrissi. ac Reverendissimi  
domini mei Patriarchæ & Archiepiscopi.

*Antonius de la Iardina,  
Secret. & Notarius.*

D. GREGORIUS GALLO,  
 Dei & Apostolicæ sedis gratia  
 Episcopus Oriolensis , Lectori  
 æternam in Christo fe-  
 licitatem.

**V**eteri instituto sanctorum Pa-  
 trum , moribusque maiorum posi-  
 tum erat ( quod nuper sacrosancti con-  
 ciliis Tridentini decretis instauratum  
 est ) ut ad componendos cleri & popu-  
 li mores , Synodus Diœcesana quotan-  
 nis celebraretur. Quæ res cum multis  
 de causis à nobis hactenus fieri non  
 potuerit , vehementer & ex animo do-  
 luimus. Nam etsi tres anni abierint ,  
 quibus Dei munere hic resedimus , ma-  
 xime tamen consentaneum rationi fuit ,  
 ut cùm à capite debeat res exordiri ,  
 in componendis hiis , quæ ad Cathedra-  
 lem Ecclesiam pertinebant , primùm  
 ver-

versaremur. Quod officium expectatio  
 eorum , qui electi erant , nec dum ve-  
 nerant plurimum retardavit. Deinde  
 cùm ad curandos morbos , necessaria  
 sit eorumdem cognitio , & ad viden-  
 dos , & componendos mores , eorum  
 natura , qui iis imbuti sunt , & no-  
 bis subiiciuntur , debeat esse perspe-  
 cta ; buius rei gratia nos ipsi totam  
 Diæcesim magna cum cura & diligen-  
 tia lustravimus , & visitavimus. Iam  
 verò Valentiam profecti sumus ; ubi  
 multos menses cum præstantissimis  
 viris convenimus , ut de reformatio-  
 , & salute animarum eorum , qui  
 per ad fidem Christianam ex Mabo-  
 me ica fraude sunt conversi , agere-  
 int Unde effectum est , ut una cum  
 integrō & erudito fidei Catholicæ In-  
 quisitore Felice Evia de Oviedo su-  
 periori anno ad prædicandum Edictum  
 singularis cuiusdam beneficii à san-  
 ctissimo Pontifice , & Rege nostro  
 Ca-

Catholico noviter conversis collati,  
iverimus. Accedit etiam quod vale-  
tudine adversa præpediti, Synodi ce-  
lebrationem differre, coacti sumus.  
Nunc verò Dei Opt. Max. beneficio  
conventum indiximus, & egimus Diæ-  
cesanum, in quo de multis rebus sa-  
cram religionem, populi institutio-  
nem, & morum emendationem concer-  
nentibus, cum multis ex nostro Capi-  
tulo fratribus viris certè probis, pru-  
dentibus, & in sacra Theologia, &  
utroque iure valdè eruditis, egimus;  
ac magno studio, atque assiduis con-  
gressibus contulimus. Quorum oper-  
& consilio adiuti; & eorum quo n  
intererat approbatione, constitui-  
ones, quæ infra describentur, e idि-  
mus. Quoniam autem hæc Synodus pri-  
ma est quæ habetur in hac Diæcesi,  
nulla culpa in nos debet transferri,  
si plura aut pauciora statuta, quam  
fortassè res postulabat, fecerimus.

Hoc

*Hoc unum velimus pro certo haberri,  
nos in hac re magno studio optasse,  
ut quantum fieri posset, maxima cu-  
ra haberetur cultus divini & salutis  
ovium nobis commissarum. Quare si  
quid boni statutum videbitur, id om-  
ne ei, à quo omne datum optimum pro-  
ficiatur, referimus acceptum, &  
pro collato in nos beneficio gratias  
agimus. Candidum verò lectorem, si  
quæ repererit minus sibi placere,  
æqui bonique consulat maximè roga-  
mus.*

CON-

# CONVOCATIO SYNODI ORIOLANÆ.

**G**regorius Gallo Dei, & Apostolicæ sedis gratia, Episcopus Oriolensis, & de consilio suæ Maiestatis, &c. Admodum nobilibus, reverendis, ac venerabilibus in Christo dilectis Capitulo, Dignitatibus, & Canonicis nostræ Ecclesiæ Oriolensis, ac aliarum Ecclesiarum Parochialium Rectoribus, Vicariis, ceterisque præsbyteris curam animarum exercentibus; quibus interest à iure Episcopali Synodo assistere; ac universis & singulis magnificis, & honorabilibus civitatum, locorum, & opidorum istius nostræ Diæcesis Iuratis, ceterisque sæcularibus personis, ad quos infrascriptum negotium pertinet, & spectat salutem in Domino. Cùm per sancta concilii Tridentini decreta, ac statuta sanctorum Patrum, & sacros Canones dispositum sit, & ordinatum; quòd quilibet Episcopus in sua Diæcesi ad determinandum causas ecclesia-

sti-

sticas, ac eas ordinandum; ac etiam ad dirimendum, & dissolvendum controversias, quæ inter personas ecclesiasticas intervniunt; nec non qui læsi se existimaverint iustitiam petere possint; & Synodalem expectare sententiam; ac etiam pro corrigendis excessibus, & moribus reformatiis, ac aliis rebus, & negotiis Christi servatoris nostri, & divini cultus augmentum, bonumque, & utile suæ Dioecesis, totiusque Cleri, ecclesiarumque, & plebis honestatem, & reformationem, bonumque statum concernentibus pertractandis, statuendis & ordinandis, singulis annis, Synodum congregare, & celebrare tenetur; quod facere, aliquibus aliis prædicti negotiis iustis, & notoriis, bactenus nequivimus: cupientes tamen saluti animarum providere; & quæ ad officium, & curam Pastoralem attinent, debita sollicitudine adimplere; & quòd Tridentinæ decreta, & statuta Synodi Provincialis Divino favore bis proximis annis celebratæ solemniter recipiantur, & debitæ executioni mandentur in hac nostra Ecclesia Oriolen. primam Episco-

pa-

palem Synodum cum Dei adiutorio, & favore die Ascensionis Domini nostri Iesu Christi, quæ computabitur decima nona præsentium mensis, & anni celebrare decrevimus, & ordinavimus. Proinde vos omnes, & singulos supradictos exhortamur, monemus, ac in virtute sanctæ obedientiæ, & sub censuris, & pœnis in iure, & constitutionibus Provincialibus contentis præcipiendo mandamus; quatenus postquam per has nostras litteras citati, & moniti fueritis, per vos, aut per vestros legitimos procuratores, si infirmitas, aut aliud canonicum impedimentum non intercesserit; in boc nostro Palatio Oriolen. die assignata, personaliter interesse curetis; super præmissis, & aliis dictam Synodum concernentibus debitè proposituri, & recitaturi, sicut rerum necessitas, & commoditas exegerit; alioquin, & super præmissis, prout iuris, & rationis fuerit, vestri absentia in aliquo non obstante, verum contumacia exigente in dicta Synodo procedemus. Super præsentatione verò vobis de præsentibus facienda, relationi latoris earumdem fidem

12 Convocatio Synodi.

dem indubiam adhibebimus ; quas etiam  
in valvis nostræ Ecclesiæ Oriolensis , ut  
buiusmodi Synodi Oriolensis convocatio  
omnibus innotescat ; affigi , & publicari  
mandavimus. Dat. & actum in Palatio  
nostro Episcopali Oriolensi , die quarta  
mensis Maji anno Domini millesimo quin-  
gentesimo sexagesimo nono.

G. Episcopus Oriolensis.

De suæ Reverendissimæ dominationis  
mandato,

Petrus Conessa,  
Notarius , & Scriba.

PRI-



## PRIMÆ SINODI

### ORIOLANÆ DECRETA.

#### *PROFESSIONE FIDEI.*

I N nomine Sanctæ , & individuæ Trinitatis; Patris , & Filii , & Spiritus Sancti. Prima hæc Synodus Oriolana ; ex sacrosancti , Oecumenici, Tridentini Concilii decreto legitimè congregata : Sub Beatissimo Domino nostro Pio , divina providentia , Papa V. Pontificatus eius anno quarto : Regnante invictissimo Domino nostro , ac Rege Catholico , Philippo II. Regni eius anno decimoquarto : Præsidente in ea admodum Illustri , ac Reverendissimo Domino , D. Gregorio Gallo , Dei , &

Apos-

be

Apostolicæ Sedis gratia, Episcopo Orlensi: Sanctorum patrum vestigiis insistentes, fidem Catholicam sine qua impossibile est placere Deo; in intimis cordis sui visceribus ad iustitiam stabilem, & firmam; iuxta formam à felicis recordinationis Pii Papæ IV. traditam; ore ad salutem in hunc, qui sequitur, modum profitetur.

**CREDO** in unum Deum: Patrem omnipotentem; factorem Cæli, & terræ, visibilium omnium, & invisibilium: & in unum dominum Jesum Christum; filium Dei unigenitum; & ex patre natum ante omnia sæcula; Deum de Deo; lumen de lumine; Deum verum de Deo vero; genitum, non factum; consubstantialem Patri; per quem omnia facta sunt: Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de Cælis; & incarnatus est de Spiritu Sancto, ex Maria virgine; & Homo factus est; Crucifixus etiam pro nobis, sub Pontio Pilato; passus, & sepultus est; & surrexit tertia die, secundum scripturas; & ascendit in Cælum; sedet ad

ad dexteram Patris ; & iterum venturus est cum gloria iudicare vivos , & mortuos ; cuius Regni non erit finis : & in Spiritum Sanctum , Dominum , & vivificantem ; qui ex patre , filioque procedit ; qui cum Patre , & filio simul adoratur ; & conglorificatur ; qui locutus est per Prophetas : Et unam , sanctam , Catholicam , & Apostolicam Ecclesiam : Confiteor unum baptisma , in remissionem peccatorum : & expecto resurrectionem mortuorum ; & vitam venturi sæculi . Amen.

Apostolicas , & Ecclesiasticas traditiones ; reliquasque Sanctæ Romanæ Ecclesiæ observationes , & constitutions firmissimè admittit , & amplectitur.

Item sacram scripturam , iuxta eum sensum , quem tenuit , & tenet Sancta mater Ecclesia ; cuius est iudicare de vero sensu , & interpretatione sacrarum scripturarum , admittit . Nec eam unquam , nisi iuxta unanimem consensum Patrum , accipiet , & interpretabitur.

Profitetur quoque , septem esse verè , & propriè sacramenta novæ legis , à

à Iesu Christo Domino nostro instituta; atque ad salutem humani generis , licet non omnia singulis necessaria scilicet, Baptismum ; Confirmationem ; Eucharistiam ; Pœnitentiam ; Extremam unctionem ; Ordinem ; & Matrimonium: Illaque gratiam conferre : & ex hiis Baptismum, Confirmationem, & Ordinem, sine sacrilegio, reiterari non posse.

Receptos quoque , & approbatos Ecclesiæ Catholicae ritus , in supradictorum omnium sacramentorum solemnni administratione , recipit , & admittit.

Omnia , & singula , quæ de peccato Originali ; & de iustificatione , in sacrosancta Synodo Tridentina , definita, & declarata fuerunt ; amplectitur , & recipit.

Profitetur pariter , in Missa offerri Deo verum , proprium , & propitiatorium sacrificium , pro vivis , & defunctis. Atque in sancissimo Eucharistiae sacramento , esse verè , realiter , & substantialiter corpus , & sanguinem, unà cum anima , & divinitate Domini nostri Iesu Christi : fierique conversionem

nem totius substantiæ panis , in corpus;  
 & totius substantiæ vini , in sanguinem;  
 quam conversionem Catholica Ecclesia  
 transubstantiationem appellat.

Fatetur etiam , sub altera tantum  
 specie , totum , atque integrum Chri-  
 stum , verumque sacramentum sumi.

Constanter tenet , Purgatorium esse;  
 animasque ibi detentas fidelium suffra-  
 giis iuvari.

Similiter , & Sanctos , unà cum Chri-  
 sto regnantes , venerandos , atque invo-  
 cандos esse : eosque orationes Deo pro  
 nobis offerre : atque eorum reliquias es-  
 se venerandas.

Firmiter asserit , imagines Christi ; &  
 Deiparæ semper virginis ; nec non alio-  
 rum Sanctorum habendas , & retinen-  
 das esse ; atque eis debitum honorem,  
 ac venerationem impariendam.

Indulgentiarum etiam potestatem à  
 Christo , in Ecclesia , relictam fuisse ,  
 illarumque usum Christiano populo  
 maximè salutarem esse affirmat.

Sanctam Catholicam , & Apostoli-  
 cam , Romanam Ecclesiam , omnium

Ecclesiarum Matrem , & Magistrum agnoscit. Romanoque Pontifici , beati Petri , Apostolorum Principis , successori ; ac Iesu Christi Vicario , veram obedientiam spondet , ac iurat.

Cetera item omnia à sacris Canonicis ; & oecumenicis Conciliis , ac præcipuè à sacrosancta Tridentina Synodo tradita , definita , & declarata indubitanter recipit , atque profitetur. Simul que contraria omnia ; atque hæreses quascumque ; ab Ecclesia damnatas , reiectas , & anathematizatas , hæc Synodus Oriolana pariter damnat , reiicit , & anathematizat.

**¶ Receptio generalis Concilii Tridentini.**

¶ YHEC eadem Synodus Oriolana sacrosanctum , oecumenicum , Tridentinum Concilium ; ad hæreses hoc tempore serpentes extirpandas ; collapsam Ecclesiasticam disciplinam instaurandam ; in Spiritu Sancto legitimè congregatum ; toto corde amplectens ; omniaque , & singula in eo decreta admirans , & suspi-

piciens ; palam , & publicè recipit , atque admittit ; & ab omnibus sibi subditis recipi , admitti , & fidelissimè , religiosissimeque observari iubet.

¶ *Receptio Provincialis Concilii Valentini.*

3 **E**adem hæc Diæcesana Synodus Concilium Provinciale Valentinum ; sub felic. record. Pio Papa IV. à bon. mem. Martino Ayala , Archiepiscopo Valentino habitum, ea, qua debet, reverentia prosequens ; omnia & singula in eo decreta , quantum de iure potest , ac debet ; recipit , admittit ; & ab omnibus sibi subditis recipi , admitti ; & observari præcipit. Adhibitis tamen ad id correctionibus , modificatinibus , & expositionibus super eo factis, à S. D. N. Pio , Papa V. Datis Romæ, apud Sanctum Petrum , sub anulo pectoris , die IV. Novembris M.D.LXVII. Pontificatus nostri anno secundo.

**T** Abrogatio omnium s<sup>e</sup>constitutionum ad hunc usque diem in hac Diœcesi servatarum.

**4** **C**onsiderans eadem hæc Oriolana Synodus, nimia constitutionum multiplicitate, iustitiæ cursum impedi-ri; & litibus materiam suppeditari posse: omnes, à quibuscumque, ad hunc usque diem, in hac urbe, & Diœcesi, servatas constitutiones antiquat, atque abrogat; & præter eas, quæ à nobis innovatæ fuerint; ceteras omnes irritas, nullas, & inanes esse; illisque aut in iudicio, aut extra iudicium nequaquam standum esse; declarat; statuit; atque decernit.

**T** Sabbatis ab intestinis respirantium abstinentum.

**5** **S**abbatis, non aliter, ac sextis fe-riis; iejunii, mæroris, ac late-brarum; quibus Apostoli illo, ante Domini resurrectionem, biduo se affixe-runt,

runt, imaginem frequentandam esse; Innocentii Primi decreto sancitum cùm sit: Sabbatis, in hac urbe, & Diœcesi; veteri permissione abrogata, à respirantium visceribus, intestinis, tomaculis, & quæ vulgò (*los menuts*) dicuntur; abstinendum. & Provinciæ Valentiniæ consuetudinem observandam esse; Synodo approbante, decernimus; & futuris temporibus in perpetuum sancimus. Contra qui fecerint; iisdem poenitentia punientur; quibus ubique sunt obnoxii, qui sextis feriis, suprapositis visceribus, intestinis, tomaculis, & quæ vulgò dicunt (*los minuts*) vescuntur.

**T** Parochis Catechismum assiduè legendum.

**6** **C**atechismum ex decreto Concilii Tridentini ad Parochos S. D. N. Pii V. Pont. Max. iussu editum; in quo admirabili gravitate, præcipua doctrinæ Christianæ capita divinitus explicantur: atque adversus huius temporis

ris hæreses, orthodoxis, catholicisque sententiis, defenduntur: Parochi, & omnes, quibus docendi, in Ecclesiis nostris, munus incumbit; ut, assidua lectione, sibi familiarissimum reddant; &, quoad eius fieri poterit, de manibus numquām deponant; atque ex illius præscripto, & formula, in suo munere versentur, præcipimus.

Quod ut fieri ab omnibus commodiùs possit; dabimus operam, ut divinarum, quæ illo libro continentur, doctrinarum summa, in linguam vulgarem conversa in lucem propediem emittatur.

¶ *A Parochis doctrinam Christianam populo tradendam.* ¶

¶ **V**illa Parochorum prima, ac maxima cura, & sollicitudo esse debet; ut commissos sibi Christi fideles saluberrimis fidei doctrinis; & sanctissimis vitæ monitis opportunè, importunè compleant. Huic suo muneri, Dominicis potissimum, Festisque diebus,

inter Missarum sollemnia , ut omnino satisfaciant: doctrinam Christianam, vulgari lingua , populo explanent : orationem tamen Dominicam , salutationem Angelicam , Symbolum Apostolorum, & orationem , cuius initium est , Salve Regina , Latino sermone doceant : eisdem quoque diebus , qua hora commodiore poterunt ; teneros puerorum , ac puellarum animos pietate in Deum ; in parentes obedientia informent ; præcipimus. Qui Parochi , in hoc spirituali , & tam necessario alimento , populo sibi credito , ex Tridentini Concilii decreto , suppeditando , negligentiores à Visitatoribus nostris inventi fuerint , graviter , severaque puniantur.

**¶ Parochi ad sumendam quater singulis annis Eucharistiam suos adhortentur.**

**8** **C**um immensa omnium bonorum affluentia , & copia , in sacro sancto Eucharistiæ mysterio , inclusa sit; quæ nobis à Christo illis verbis propo-

ni-

nitur : Qui manducat meam carnem ; & bibit meum sanguinem ; in me manet ; & ego in illo : & qui manducat me ; ipse vivet propter me : Parochis , in virtute sanctae obedientiae districte præcipimus ; ut ad fideles cohortandos , tota mente , incumbant ; vitam suam , ex fide per caritatem operante , ita instituant , atque moderentur ; ut si ad veterem illam , panem Cœlestem , aut quotidie , aut frequentius accipiendi , Ecclesiæ consuetudinem renovandam nondum aspirant ; ad quam ut aliquando aspirare possint , omni animi studio , omnibus à Deo precibus contendere debent : at saltem in Nativitate , Resurrectione Domini , Pentecoste , Deiparæ semper virginis Assumptione ; ad mensam Dominicam dignè accedendo , ineffabili , omnium maximi sacramenti , virtute frui non prætermittant.

 A suo

**T**A suo cuique Parocho semel saltem  
in anno Eucharistiam sumen-  
dam.

¶ **C**um omnes utriusque sexus Chri-  
sti fideles, semel singulis annis,  
à suis Parochis sacram Eucharistiam su-  
mère teneantur; omnium ordinum præ-  
latos in Domino monemus, ut commis-  
sum nostræ curæ populum, ad sacram  
Eucharistiam à suis Parochis sumen-  
dam, in Dominicæ resurrectionis festi-  
vitate, adhortandos, transmittendos-  
que curent. Ipsi verò Christi fidelibus  
subditis nostris præcipimus, quo tem-  
pore præcepto Ecclesiæ satisfacere te-  
nentur, ut non ab alio, quàm à suo Pa-  
rocho sacram Eucharistiam accipiant.  
Salvis tamen omnibus super hac re pri-  
vilegiis, aut indultis à summis Roma-  
nis Pontificibus, & novissimè à sanctis-  
simo D. N. Pio V. quorumcumque ordi-  
num, ac præcipuè mendicantium Fra-  
tribus concessis. Quæ omnia studiosè  
recipimus, & inviolabiliter in hac ci-

vitate , & Diœcesi observari iube-  
mus.

**T**Quo die festum de fidei articulo ; aut  
religiosissima cæremonia celebratur ;  
ac cuique ad suam Parochiam  
accedendum.

10

**C**um sacrosanctum Concilium  
Tridentinum populum , ubi  
commodè fieri possit : Parochiæ suæ ad  
audiendum verbum Dei , interesse te-  
neri decreverit ; idquè in iis saltem so-  
lemnitatibus , aliisque diebus , in qui-  
bus fidei articuli , & religiosissimarum  
cæremoniarum gravissima mysteria ce-  
lebrantur ; in hac urbe , ac Diœcesi  
observari commodè possit , omnes sub-  
ditos nostros , præcipuè ruri vitam agen-  
tes , magnopere hortamur , ut Feria  
quarta Cinerum , Dominica Palmarum ,  
Feria quinta in coena Domini , Feria  
sexta in Parasceve , Resurrectione , As-  
censione , Pentecoste , Dominica Trini-  
tatis , Festo corporis Christi , Deiparae  
semper virginis Assumptione , Festo  
Om-

Omnium Sanctorum , die commemo-  
rationis defunctorum , Natali Domini , &  
Epiphania , ad suas Parochias conve-  
niant. In quibus , cùm , qui excommu-  
nicati vitandi , quæ festa colenda , ie-  
iunia observanda , solemnes quoque  
matrimoniorum denuntiationes , doctri-  
nam Christianam Catechismo ad Paro-  
chos contentam , ex sanctæ Tridentinæ  
Synodi decreto , ignorare non possint;  
tum fidei articulorum , & sanctissima-  
rum cæremoniarum , quæ enumeratis  
diebus ab Ecclesia nobis proponuntur;  
mysteria , rationemque accipiant ; &  
donis cælestibus maximis , quæ in se  
continent ; perfruantur.

**I** Pastoribus , & ruri degentibus famu-  
lis , diebus Festis , ad Eccle-  
siam eundum.

**II** **D**astores ad Christum dominum  
**A** dorandum sedulò in eius Na-  
tivitate cùm festinarint ; ad id ipsum  
munus hodie in Ecclesiis obeundum,  
tam segniter eos , raroque accedere;  
nos

nos ipsi animarum Pastores , pro credita nobis cura , graviter dolentes ; Parochis , atque ipsorum pastorum heris omnino præcipimus ; ut eos ad Missam, diebus Dominicis , ac Festis , audiendum frequenter , magnoque studio hortentur.

Ac heri quidem ex pacta cum suis pastoribus mercede , quæ dicuntur Rosaria , ad orandum illis emant. Curati verò doctrinam Christianam eos diligenter doceant ; & quantum profecerint , in confessionibus periculum faciant.

Quòd si pastores , iam dictis diebus, Missam non audierint ; si eorum culpa fuerit ; singulis ipsi pastores ; sin autem dominorum ; ternis domini pastorum in singulas Missas Solidis , ex tertia parte Curatis attribuendis , multentur.

Ad confitendum quoque , si statuto ab Ecclesia tempore , dominis prohibentibus , non venerint ; domini unius ducati ; cuius tertia pars Parocho cedat ; multam ferant : pastores verò pœnas , in Concilio Provinciali Valentino , hac de re editas non evadant. Quo nostro de-

cre-

creto ceteros etiam famulos mercenarios, maximè ruri vitam agentes, teneri volumus.

Parochi quoque, nisi pastores, & in agris degentes famulos, semel singulis mensibus, visitent; & an nostra hæc salutaria instituta serventur; diligenter inquirant: à Visitatoribus nostris; quorum curæ inviolabilem huius decreti observationem committimus; sex in singulas vices Solidis mulctentur.

**¶ Conversos à Mahometanis à Parochis catechizandos.**

12 **D**Arochis, quæ à Reverendissimis Episcopis, Valentiam cooptatis, in quorum numero nos fuimus, Præside bonæ memoriæ Ferdinando Loazes, Archiepiscopo Valentino, de optimâ conversos à Mahometanis catechizandi ratione, decreta sunt; cum primùm illa in lucem edita; & à nobis tradita fuerint; ut quam diligentissimè observent; præcipimus.

**¶ Qui-**

¶ *Quibus sedibus , & quo habitu , confes-  
siones audiendæ.*

13

**Q**uia secunda in huius vitæ nau-  
fragiis Pœnitentiæ tabula re-  
ligiosissimè est veneranda ;  
statuimus sedes confessionibus audiен-  
dis , in Cathedrali , & reliquis Ecclesiis  
nostris , loco patenti , & aperto , ita  
fabricentur ; ut Sacerdos à confitente  
intermedio , ne se contingere possint ;  
poste ; & in eo ærea craticula , aut la-  
mina , crebris foraminibus pertusa ; ad  
quam se mutuò commodissimè audiant ;  
separentur.

\* Confitens , utroque genu flexo ; viri ,  
ense deposito , feminæ capitis ornatu ,  
totiusque corporis vestitu honestissimo  
assumpto ; vultu demisso ; humilitatem ,  
animique dolorem præseferant.

Sacerdotes in confessionibus eodem ,  
quo in Choro , habitu , ac vestitu utan-  
tur. In privatis domibus , ( quod fieri  
à nonnullis cum tanti sacramenti despi-  
cientia molestè audimus ) nisi infirmita-  
tis ,

tis , aut alterius necessitatis causa , confessiones non audiant. Qui Presbyteri audierint ; prima vice , ducato uno ; secunda duobus , & aliis , arbitrio nostro, pœnis mulctentur.

¶ Confraternitatem Minervæ à Parochis diligentissimè populo commendandam ; & aliquam , in singulis Ecclesiis , Eucharistiæ confraternitatem instuendam.

14. Ad Uctorem vitæ sacrilegi hæretici  
¶ non alio , ac perfidi Iudæi furore perciti , iterum , quantum in ipsis est ; in crucem tollunt ; quem in sacro sancto Eucharistiæ sacramento , nefariè oppugnant. Quorum impiis conatibus ut obviam eatur ; & immensæ Dei in humanum genus clementiæ pignus ; quod omnium maximo sacramento continetur ; quanta fieri à nobis possit ; maxima religione , gratiarumque actione adoretur ; confraternitatem Minervæ , à summis Romanis Pontificibus sanctissimè institutam ; ut Parochi nostri po-

pu-

pulo , maiorem in modum , etiam , atque etiam commendent ; & ad eam colendam , observandamque cohortentur ; omnino præcipimus.

Quibus verò in Ecclesiis Parochiali-  
bus nostris , Minervæ confraternitas non  
colitur ; curent earum Parochi , ut ali-  
qua Sanctissimi Sacramenti confraterni-  
tas à subditis suis pro eorum copiis , in-  
stituatur ; & religiosè , studioseque  
observetur.

**T** Confraternitatem nominis Iesu , in  
omnibus Ecclesiis , recipiendam ; &  
à Concionatoribus commen-  
dandum.

**I** 15 **G**ravissima sacræ litteræ suppli-  
cia iis comminatur , qui sa-  
crosanctum Dei nomen frustrà assu-  
munt. Atverò longè magis detestabili  
scelere sè astringunt ; qui impuro , &  
contaminato ore , illud blasphemare ;  
atque execrari ; & horribili carnificinæ  
genere , audent in partes , membraque  
trucidare. **A**b illa igitur Divini honoris  
des-

despicientia , & hac nefaria abominatione , commissum nostræ curæ populum abducere ; atque ad Dei nomen laudandum , & benedicendum traducere exceptantes , confraternitatem nominis Iesu, opportunissimam huic grassanti morbo medicinam , à nostris Parochis populo proponi ; & in omnibus Ecclesiis nostris recipi , præcipimus. Cuius confraternitatis sanctissima instituta ; quo legantur ab omnibus faciliùs ; brevi excudenda curabimus.

Concionatores verò in Domino monemus ; hunc præcipuè locum , in suis concionibus , urgeant ; summoque studio instant ; ut populus , sceleris gravitate perspecta , illud detestetur vehementius ; & in evitando maiorem diligentiam , cautionemque adhibeat.

**¶** *Nulos novos libellos , de fide , & moribus , excussos , manuue scriptos , nisi approbati fuerint ; spargendos.*

**16** **N**ovos libellos , doctrinas , quæ ad fidem, moresque pertineant;

C

con-

continentes in vulgus disseminari ; aut, quovis titulo , tractatus , colloquia , vivendi formulas , moralia , aut spirituallia documenta , manuscripta , aut legenda tradere ; aut tradita legere ; sine nostra ; aut eius , cui nos id commiserimus ; approbatione , omnino vetamus . Contra facientes graviter á nobis punientur.

¶ *Qui pueris instituendis publicè præficientur ; ante examinandos esse.*

17 **Q**ui informandorum puerorum curæ publicè præficientur; aut etiam qui iam præfecti sunt, in hac urbe , à Vicario Generali ; extra urbem , à Vicario Foraneo , vel à Parrocho , ubi Vicarius non fuerit , de moribus, & doctrina Christiana , prius examinentur : & nisi ab illis probati ; scholam aperiendi , aut in eo exercitio permanendi , copiam non consequantur. Qui sine iam dicta probatione , ad id munus publicè accesserint ; ab eius usu, sex mensibus, interdicantur.

¶ *Mis-*

¶ *Missale , Breviarium , & Manuale,  
quæ proximè edentur ; ab omnibus  
recipienda.*

18 **C**Um felic. record. Pius IV. Pont.

**C** Max. invictissimo Domino no-  
stro , Rege Catholico , Philippo II. po-  
stulante , atque petente ; hanc Eccle-  
siam Divo Salvatori dicatam , decima  
quarta Iulii , anni millesimi quingente-  
simi sexagesimi quinti , in Cathedra-  
lem erexerit , privatum huic urbi , ac  
Diæcesi Missale , Breviarium , ac Ma-  
nuale , omni cura , ac diligentia elabo-  
rata , pro nostro iure , edere prope-  
diem cogitamus. Quæ omnia ; cum pri-  
mùm , dante Deo , vulgata fuerint ;  
hæc Synodus se studiosè recepturam ,  
iam nunc promittit , ac spondet. Qua  
Synodo approbante , nos , auctoritate  
Episcopali , qua fungimur ; omnibus  
huius urbis , ac Diæcessis Dignitatibus ,  
Canonicis , Rectoribus , Curatis , &  
aliis Præstimonia , Beneficia , ac Capel-  
lanias obtinentibus ; etiam in sacris or-

dinibus constitutis ; præcipimus ; ut cùm  
primùm Missale , Breviarium , Manua-  
le à nobis , Deo favente , edenda ad  
eorum manus pervenerint , ab omnibus  
recipiatur : & ex eorum præscripto,  
& forma , & non alia , Divina officia  
persolvantur ; & sacramenta ministren-  
tur.

Quod nostrum decretum ita demum  
accipi volumus ; ut si Missale , & Bre-  
viarium , quæ ex decreto Concilii Tri-  
dentini , in omnibus provinciis recipien-  
da , & observanda , à SS. D. N. confi-  
ci audimus ; antequam has cogitationes  
nostras perficiamus ; in lucem emissa,  
ad manus nostras pervenerint ; ad eorum  
normam , & regulam , omnes nostras  
hac de re rationes accommodaturos,  
Synodo approbante , iam nunc profi-  
teamur.

**¶ Forma Divini officii in Choro per-  
solvendi.**



Uanta omnium clericorum Di-  
vini officii in Choro persol-  
ven-

vendi religio esse debeat ; ignorare non possumus , cùm domum Domini , domum orationis ; & Dominum in atrio sancto suo adorandum esse legamus . Cuius muneris , cùm in omnibus ordinibus constituti clerici ; tum , quos , ceteris vitæ exemplo prælucere oportet , sacerdotes , Rectores , Vicariique nostri ; ut semper meminerint ; atque ad id puro corde , castoque corpore obeundum , omni cura , ac cogitatione insistant ; per viscera misericordiæ Domini nostri Iesu Christi eos etiam , atque etiam , in Domino hortamur . In virtute verò sanctæ obedientiæ præcipimus ; ut in omnibus Diœcesis nostræ Ecclesiis , hæc , quæ sequitur forma in Divinis officiis persolvendis , sanctè , religiose que observetur .

Principio vetamus ne clerici Chorum sine Chori habitu ingrediantur : Ne Divini officii , aut etiam concionis tempore , Choro egrediantur ; aut in Ecclesia vagentur : Ne ab una Chori parte , ad aliam transeant : Ne ulla in Choro litteras legant : Ne privatum officium ,  
ad

ad quod teneantur ; submissa voce persolvant : Ne Sceptrum , Cappam , sua vice , aut turno , ad se redeuntem , Curato , & Rectore exceptis , recusent : Contra qui fecerint , eius horæ , in qua unam aliquam ex suprapositis culpam commiserint , emolumento priventur.

Præcipimus , quamdiu Divinum celebratur officium ; Curatus , Beneficiati , Capellani , & ceteri cuiusque Ecclesiæ clerici , eximia omnes cum reverentia , ac religione in Choro præsentes adsint : sileant : sacras ceremonias observent : Psalmодiam ; Antiphonas ; Responsoria attente , distinctè , spatiösè canant , atque pronuntient : Quamdiu Deiparæ semper virginis officium ; Gloria patri ; Magnificat ; Nunc dimittis ; Benedictus ; Gloria in excelsis ; Symbolum fidei ; Capitula ; Orationes ; Hymni ; Præfationes decantantur ; recti , apertoque capite stent ; iis exceptis ; qui senectute , morbo ; imbecillitate id facere prohibeantur. Contra facientes , si à Parocho , vel Præside moniti suum officium non fecerint ; sex denariis multentur.

Qui

Qui clericus Divinum conturbarit officium ; aut cum clericorum , laicorum ve offensione , ac scandalo , intra Ecclesiam , Chorumve ; aut extra , in processionibus , & funeralibus ; in suum Vicarium , Rectorem , aliumve clericum , iniuriam , contumeliam iecerit ; rixando , vociferando ; quamvis sine ulla manuum vi , ac diuinatione ; turbas dederit ; concitarit. Si Beneficiatus , aut Capellanus fuerit , suis distributionibus , per totum mensem proximè sequentem , ipso facto , privatus iudicetur. Ipse verò officio Divino , per eum mensem , interesse omnino compellatur. Quæ distributiones , & reliquæ supraposita pœnæ à Rectore , vel Vicario collectæ reliquis accrescant clericis , qui illis ipsis , per mensem , diebus , Divinis officiis interfuerint.

Quibus in Ecclesiis tam tenues redditus fuerint ; ut nullas in Missa conventionali , & Vesperis , quotidianas distributiones habeant ; quo Divinum solemniter celebretur officium : & à Presbyteris , seu Beneficiatis quotidie frequen-

quentetur : & cultus Divinus , quod summopere exoptamus ; in dies augeatur : statuimus ; ut qui Missæ conventionali non interfuerit dimidia Anniversarii eius diei parte ; qui Vesperis ; reliqua dimidia privetur. Quo die nulum Anniversarium fuerit ; qui in Missa desiderabitur ; à medio die usque ad mediam noctem , qui in Vesperis ; à media nocte usque ad sequentis diei meridiem ; omnium actuum , ac funeralium emolumentis multentur.

Omnibus verò Beneficiatis , Capellaniis , ceterisque clericis ; pro ea , quam nobis spoponderunt , obedientia ; iubemus : Præsidi Parochiæ , in iis , quæ ad supra expositam Divinorum officiorum celebrationem pertinent , omnino parant. Quòd si parere recusaverint , contumacesve fuerint , aut aliquid ad decentiam , vel honestatem Chori spectans commiserint , vel omiserint , Præsidi Parochiæ eos multandi ius , auctoritatemque impartimur , omnesque à Præsidé , super Divinorum celebratione , impositas multas , valere præcipimus.

¶ Plu-

¶ *Plura matutinorum votivorum officia simul , in eadem Ecclesia , non decantanda.*

20 ¶ *U*nam , quæ ex compositione , distinctioneque Divinorum officiorum in Ecclesiis existit religionem à Deo facilius impetremus : vetamus ; ne plura , in eadem Ecclesia , Matutinorum votivorum officia , uno tempore , festinanterque ; sed distinctè , compositeque decantentur ; donec , ex Concilii Provincialis decreto templa sub vesperum claudantur.

Die verò corporis Christi ; Assumptio-  
nis Deiparæ semper virginis ; & eius  
Sancti , cui ipsum templum dicatum fue-  
rit ; præter Matutinum officium diei ;  
nullum aliud cantari permittimus . Con-  
tra facientibus nulla ipsorum Matutino-  
rum stipendia tribuantur.

¶ *Non*

¶ Non pauciores , quam duas candelas , in omnibus Missis accendendas.

21 ¶ T altaris sacrificium maior i decentia , ac religione peragatur : præcipimus ; ut saltem non pauciores , quam duæ candelæ , in omnium Missarum celebratione , accendantur . Sacerdos una tantùm cedula ardente sacrum faciens unius denarii patinæ animalum adiudicandi multam ferat.

¶ Corporalium candorem aptis loculis conservandum.

22 Q uia mundities , ac nitor , in sacrificio altaris summopere retineri debet : præcipimus : ut , de laudabili Cathedralis Ecclesiæ more , & Corporalium candor decentibus loculis , seu bursa conservetur : Et mappulæ purificatoriæ ad calices exsiccandos adhibeantur : & Hostia ad consecrandum , non nisi Patena imposita , aut

aut Corporalium loculis conservata ; ad altare deferatur.

¶ *Decentem, osculo pacis deferendo, tabellam faciundam.*

23 **D**ebitam rebus Divino cultui consecratis reverentiam , in Ecclesiis nostris , retineri ; & Patenam ab altari nunquam amoveri ; neque laicorum manibus contrectari cupientes; præcipimus ; ut Parochi , Cathedralis Ecclesiæ exemplum imitantes , intra duos à fine huius Synodi menses , quām decentissimam , pro suarum Ecclesiarum opibus , ex argento , aliave apta materia , osculo pacis deferendo , tabellam , eorum , ad quos spectat sumptibus , aptis imaginibus cælandam , depingendamve current. Quo die elapso, si comparata tabella non fuerit , qui in mora fuisse convincentur , Visitatoris nostri arbitrio puniantur.

¶ *Sym-*

**¶** *Symboli fidei decantationem , nullis in Missa Musices instrumentis, interrumpendam.*

**24** **Q**uia fidei Catholicæ articuli ab omnibus sunt distinctè , memoriterque tenendi , prohibemus ; ne in Cathedrali , & reliquis Ecclesiis nostris , solemnis Symboli Nicæni , in Missa , decantatio , diebus Dominicis , aut quibuscumque festivitatibus , Organorum , aut aliorum instrumentorum modulatione interpoletur, interrumpaturve : sed , clara , & intelligibili voce , Musices etiam , si videbitur; harmonia adhibita , à principio ad finem usque ductu perpetuo , continetur.

**¶** *Eucaristiam , octavo quoque die, renovandam.*

**25** **S**acrosanctum Eucharistiæ sacramentum , ut in omnibus Ecclesiis nostris , octavo quoque die , quinta fe-

feria , renovetur , omnino præcipimus , & in futurum instituimus . Parochus , quoties renovare prætermiserit , binis in singulas vices solidis multetur .

¶ *Eucharistiam , cùm ad infirmos deferatur ; quatuor , ut minimum , clerici comitentur .*

26 **U**T salutare sacrosanctæ Euchariæ viaticum maiore ad infirmos veneratione deferatur : quoties fuerit deferendum , præcipimus , & in posterum instituimus ; signum campana ; ad quod fideles convenire possint , in Ecclesiis dari ; & , ubi frequens clerus fuerit , non pauciores , quàm quatuor , superpelliciis indutos , Palium gestantes , & Psalmos Davidicos , Hymnos , & alias Divinas preces religiosè canentes clericos , per suas vices , seu turnum comitari . Quibus singulis bini ab infirmo denarii , ac si pauperis Parochi iudicio habeatur ; ex patina eleemosynaria sanctissimi sacramenti distribuantur .

Li-

Liceat verò Christi fidelibus plures ad devotionem augendam clericos , quibus ante dicta ab ipsis emolumenta tribuantur , si ita illis videatur , evocare.

¶ *Feria quinta in Cœna Domini , clericis ad monumentum pervigilandum.*

27 **I**lliūs mortis , quæ mortem nostram destruxit , memoria , gratissimo animo , à Christianis omnibus recolatur : & sanctissimum Domini nostri , Iesu Christi corpus in sepulcro repositum , quam maxima fieri possit ; religione adoretur : Vicariis , Rectoribusque nostris præcipimus ; ut quām convenientissimum , pro suarum Ecclesiarum frequentia , clericorum numerum designent ; qui , feria quinta in Cœna Domini , mutatis vicibus , coram monumento semper appareant ; pervigilent ; Psalterium submisso , lugubri , ac spatiose tono , recitent . Atque ad hoc placentissimum Deo obsequium , cultumque præstandum , subditos suos , etiam

etiam emolumenterum illius hebdomadæ privatione , compellant. Quod ut faciant commodiùs ; laudandum Cathe-dralis Ecclesiæ nostræ , hac de re insti-tutum sibi ad imitandum proponent.

¶ *Feria sexta in Parasceve , con-cionem ante lucem non in-choandam.*

28 **G**Oncionem , de passione Domi-ni , feria sexta in Parasceve, propter nocturna scandala , ante lucem in choari prohibemus.

¶ *Qui dies Festi colendi.*

29 **A**d eos dies festos , qui in Pro-vinciali Concilio Valentino, sanctissmè definiti sunt , Beati Vincen-tii Ferrer festum , in hac urbe , ac diœcesi , adiungendum esse , Synodo approbante , decernimus.

Dies autem Festi sunt eiusmodi.

Circumcisio Domini.

Epiphania.

Se-

Sebastianus Martyr.

Vincentius Martyr.

Purificatio Beatæ Mariæ virginis.

Mathias Apostolus.

Annuntiatio Beatæ Mariæ virginis.

Marcus Evangelista.

Vincentius Ferrer Confessor.

Philippus , & Iacobus Apostoli.

Inventio sanctæ Crucis.

Barnabas Apostolus,

Nativitas sancti Ioannis Baptistæ:

Petrus , & Paullus , Apostoli.

Iacobus Apostolus.

Transfiguratio Domini.

Laurentius Martyr.

Assumptio Beatæ Mariæ virginis.

Bartholomæus Apostolus.

Nativitas Beatæ Mariæ virginis.

Matthæus Apostolus.

Dedicatio Michælis Archangeli.

Lucas Evangelista.

Simon , & Iudas Apostoli.

Festum Omnium Sanctorum.

Andreas Apostolus.

Conceptio Beatæ Mariæ virginis.

Thomas Apostolus.

Na-

Nativitas Domini.

Stephanus Protomartyr.

Ioannes Apostolus , & Evangelista.

Resurrectio Domini cum feria Secunda , & Tertia.

Ascensio Domini.

Festum Pentecostes cum feria Secunda , & Tertia.

Festum corporis Christi.

**T** Auctiones , diebus Festis , non , nisi finitis Vesperis , permit-

super initio tendantur .

**30** **U** omnes Festos dies nostri subditi religiosius colere , & Divinis officiis liberiū vacare possint ; vetamus , ne in illis publicæ auctiones , nisi finitis Vesperis , permittantur . Qui secus fecerit , quatuor solidorum multam ferat .

D D<sub>2</sub>

**T** Mis-

**¶ Missas operariis, & infirmis, in Ecclesiis, reservandas.**

**31 ¶** **U**t omnium, in Ecclesiis nostræ Diœcesis, hominum ratio habeatur, statuimus, ut, ex Missarum quotidianarum numero, una operariis; altera senibus, & infirmis quotidie reservetur. Quarum illam, in ipso Solis ortu: hanc, à festo Omnium Sanctorum, usque ad Resurrectionem, hora decima; à Resurrectione Domini, usque ad festum Omnium Sanctorum, hora nona, celebrari iubemus. Quod ut inviolatè observetur, Visitatorum nostrorum curæ demandamus.

**¶ Missas defunctorum, diebus Dominicis, non esse cantandas.**

**32 ¶** **C**um omnia, in Ecclesia Dei, suis distincta temporibus geri debeant: iubemus, ut, si quæ sint, Dominicis, Festisque diebus, Missæ de-

defunctorum celebrandæ , submissa tantum voce dicantur. Cantari verò , nisi præsente ad sepeliendum cadavere ; & sine Divinorum officiorum impedimento , aut præcipitatione , non permittimus.

Ubi autem , prædictis diebus , propter raritatem clericorum , una tantum Missa celebratur , Conventualem , de Festo , vel Dominica , omnino celebri præcipimus. Cui quidem , si cadaver ad sepeliendum præsens fuerit , commemoratio pro defunctis adiungi possit. Contrà qui fecerint , nullis eorum actuum emolumentis fruantur.

**¶ Nihil pro sepulturis accipiendum : neque novum earum ius , sine Episcopi auctoritate , alicui privatim tribuendum.**

**33 ¶** **N**ihil omnino pro sepulturis , si-  
ve pro aperiendi , sive pro  
eas inscribendi facultate , sive alio quo-  
vis titulo , occasionè , etiam quod in  
usus pios expendatur , accipiendum in

Ecclesiis nostris , Synodo approbante,  
decernimus.

**S**i verò , laudabili consuetudine , fa-  
bricæ Ecclesiæ , piòve alicui loco dari  
aliquid sepulturæ gratia solet ; piæ con-  
suetudines hæ , & religiosa hæc iura  
observentur ; fabricisque , & locis su-  
pradicis in iis integra maneant ; quæ  
hactenus percipere consueverunt.

Novum tamen perpetuæ sepulturæ  
ius , nobis inconsultis , concedatur ne-  
mini. Concessio , sine nostra auctorita-  
te , facta , irrita sit ; & , qui concesserit;  
arbitrio nostro , punietur.

**P**ost signum Angelicæ Salutationis  
cadavera non esse sepe-  
lienda.

**34** **P**ost signum Angelicæ Salutatio-

**P**nis , quod sub nocturnum cre-  
pusculum datur , mortuorum cadavera,  
de nostræ Cathedralis Ecclesiæ more,  
nisi necessitate cogente , & in hac ur-  
be , cum nostra , Vicariiive nostri ; in  
Diœcesi , cum Vicarii , vel Rectoris

cu-

cuiusque opidi copia humari prohibemus. Præses , aut Parochus , qui noctu mortuos sepeliri permiserit , pœna, arbitrio nostro , imponenda afficietur.

**T** A constitutis in sacris feretra non se ingrediuntur i deferenda.

**35 D** Ecem solidorum multa in posterum cautum esse volumus ; ne Sacerdotes , propter Divinam honoris , quo , funguntur , dignitatem ; aut etiam in sacris constituti , nisi in Sacerdotum , aut in sacris constitutorum funeribus , inter efferendum cadaver , adiutricem feretro manum admoveant.

**T** Crates , & lectos , in funeribus à templis removendos.

**36 U** T ea , quæ ad suffragia mortuorum , & vivorum solatia in exequiis adhibentur , retineri , observarique præcipimus ; ita omnem Gentilitatis ritum à sacris Ecclesiæ cæremoniis

niis tollere cupientes , prohibemus ; ne posthac , in defunctorum funeribus, aut prunæ in Cratibus inferantur : aut lecti in medio templi sternantur : sed Tapetibus , si ita videbitur , tantum substratis , feretra imponantur. Præses , aut Parochus , qui contra fieri permiserit , quatuor ducatorum multam ferat.

**¶ Viduis immoderatè non lugendum.**

37

**C**um certissima resurrectionis nostræ spe sustentati humanos casus , hortante Apostolo, moderatè ferre debeamus : viduas in Domino monemus , ne Gentium , quæ spem non habent ; more , in maritorum suorum morte , nimio dolori indulgentes , angoribusque se dantes , non sine aliqua infidelitatis specie , domi se diu , ac tenebris contineant , Ecclesias non frequentent , Missas rarò audiant , si quando audiunt , ad Evangelium non assurgant , sed Divinæ providentiæ , in suis casibus , Christiano animo , acquiescentes,

tes , piis potius , pro suis maritis , suffragiis procurandis , & animi æquitate , ac patientia à Deo imploranda , se potius consolentur , quām immoderatas lacrymas effundant . Quæ omnia , ut videntur , viduæque in officio Christiano contineantur , Parochorum curæ , muneriique mandamus .

**¶ Decedentibus abintestato funus , Episcopi arbitrio , faciendum.**

38 **C**hristi fidelibus abintestato decedentibus eadem suffragia esse facienda , quæ ipsi in suis testamētis pro se fieri scripsissent , cum iustitia , & religione coniunctum cùm sit . Parochis nostris præcipimus , intestato mortuo , & de more suæ Ecclesiæ sepulto , rem integrum , intra sex dies , ad nos deferendam current , ut de intestati exequiis , & exequiarum procuratore , à nobis , pro nostro arbitrio , decernatur .

**¶ In-**

**¶ Interfectorum , aut aliorum ca-**

**davera non esse clam hu-**

**el existabomin manda.**

**39 A** Lieni ab infidelitatis labe exi-

**stimari non debent , qui Gen-**

**tium ritu , ferro interfectorum , aut**

**etiam aliorum cadavera , nulla religio-**

**sa cæremonia adhibita , sine cruce , si-**

**ne clericis , sine ullis suffragiis , clam**

**ad Ecclesias humanda deferunt. Quam**

**damnata corruptelam excommunicati-**

**onis , & aliis arbitrio nostro poenit**

**prohibentes , Synodo approbante , ve-**

**tamus , ne quis posthac suorum , aut**

**aliorum cadavera , sine cruce , cleri-**

**cis , ac Parocho , ad Ecclesiam deferre,**

**aut tumulare audeat.**

Parochis verò , ad quorum Ecclesias  
huiusmodi cadavera deferri contigerit,  
pro sancta , quam nobis promiserunt,  
obedientia , præcipimus , deferentium  
nomina , ut meritis poenit afficiantur,  
nobis , vel Vicariis nostris denuntianda:  
current.

**¶ Die**

¶ Die Dominica sequentis hebdomadae  
Anniversaria populo pro-  
ponenda.

40 **U**T suffragia , quæ à fidelibus, pro animabus defunctorum, religiosè instituuntur , religiose etiam, in nostris Ecclesiis , adimpleantur , & ad pium tam sanctæ , & salubre cogitationis studium fideles magis incitentur , præcipimus, ut , præter Cathedram , in qua , veteri instituto , sanctè provisum est , in reliquis Diæcesis nostræ Ecclesiis , die Dominica , Anniversaria , sequenti hebdomada , celebranda populo , inter Missarum solemnia, publicè proponantur. Parochus , quoties proponere prætermiserit , quatuor solidos pendat.

Quibus verò in Ecclesiis nostris, nulla fuerint Anniversaria instituta , si commodè fieri poterit , Vesperas , die Dominica , Missam defunctorum , feria secunda , decantari , & ex eleemosynis in patinam animarum collatis , solita illius

lius Ecclesiæ clericis , emolumenta tribui iubemus.

**T** *In templis , præcipuè coram Sanctissimo Sacramento , non esse inambulandum.*

**41** **G**T si removendis ab Ecclesiis

**L** inambulationibus , severissimæ sunt in Motu proprio Sanctissimi Domini nostri , & in Concilio Provinciali Valentino pœnæ definitæ : tamen in Cathedrali , & ceteris nostris Ecclesiis , hoc etiam prohibendum esse statuimus ; ne quis coram sanctissimo Eucharistiæ sacramento in templis inambulet. Inambulantes , præter pœnas à SS. D. N. & Provinciali Concilio illatas , duobus solidis , in ipsius sacramenti luminibus insumendis , in singulas vires multentur.

**T** *Al-*

¶ *Altaribus neque à viris recumbendum,  
neque à feminis galeros im-  
ponendos.*

42 ¶ *Cum magna altaribus , ad offe-  
renda Deo sacrificia consecra-  
tis , reverentia à Christi fidelibus de-  
ferri debeat , vetamus , ne illis sese viri  
aliqua sui corporis parte reclinent , re-  
cumbantve , aut aversi irreverenter ad  
ea adsistant , aut feminæ galeros suos  
imponant. Contra facientes solido uno ,  
in eiusdem altaris , contra quod pecca-  
tum fuerit , ornamenti insumendo ,  
multamus.*

¶ *Aquam odoriferam benedictæ non  
admiscendam.*

43 ¶ *Cum ex aqua benedicta tanta  
Christiani spiritualia commo-  
da capiant , quanta Alexandri , à beato  
Petro Quinti , constitutione , quæ in-  
cipit , Aquam sale conspersam , expli-  
cantur , prohibemus , ne illi aqua , ut  
vul-*

vulgò dicitur , Muscata , aut aliæ odo-  
riferæ aquæ admisceantur. Parochus,  
seu , Præses , qui in sua Ecclesia ad-  
miseri permiserit , solidos tres pendat.

Duobus quoque solidis multentur,  
qui quandiu Divina celebrantur , ad la-  
bium , quo aqua benedicta continetur,  
adstantes commorantur.

**¶ Privata sacella Patronorum sumptibus  
adornanda.**

44 **¶** Ut Divini cultus splendor , in  
Cathedrali , & reliquis Ec-  
clesiis nostris , amplificetur , privato-  
rum in eis sacellorum Dominos , Syno-  
do approbante , admonendos esse sta-  
tuimus ; ut quisque suorum sacellorum  
altaria , intra duos à fine huius Synodi  
menses , decorè ornanda , tabulas , &  
imagines , intra annum , suis sumptu-  
bus , depingendas curent. Quæ si fa-  
cere distulerint , ea à nobis remedia  
adhibebuntur , quæ iuri , & æquitati  
aptissima iudicabimus.

**¶ Quo**

¶ Quo modo viri , & feminæ , in Ecclesiis versari debeant.

45 ¶ Eminentia cancellos Magistratibus ad sedendum , in Ecclesiis , destinatos non ingrediantur , aut ad eorum sedilia proximè accedant. Ubi verò commodè fieri poterit , virorum , ac feminarum loca , ne permixtim sedeant , separentur.

Diem commemorationis defunctorum , & Anniversariorum , in quibus generatim , per cognationes , & familiias , in Ecclesiis , conveniri solet , semper excipimus.

In sacellis verò angustioribus , & aliis altaribus , ubi Missæ submissa voce celebrantur , distincto feminæ à viris loco sint , ut maiore omnes in Ecclesia religione versentur.

¶ In

**¶ In privatis domibus , Crucis , Deiparae virginis , sanctorumque imagines reponendas.**

46 **G**ratissimum Deo , ac sanctis cum Christo regnantibus obsequium se præstare sciant , qui Crucis , Deiparæ virginis , sanctorumque imagines , quas venerentur , & ad eas procumbentes preces fundant , in suis domibus decore , religioseque reponunt . Quæ pia devotio , si apud omnes Christi fideles vigeat , Parochi , Quadragessimæ tempore , ad confitentium numerum explorandum , singulas subditorum suorum domos circumeuntes , diligenter observent . Et si qui ( quod non credimus ) in tam sancto vitæ instituto colendo , negligentiores fuerint , eos seriò admoneant . Parochi , qui admonere prætermiserint , severè arbitrio nostro punientur .

**¶ Quo**

¶ Quo in processionibus modo incidentum , & quo tempore rece-  
dendum.

47

Cum omnem religionis cul-  
tum , præcipueque proces-  
siones, supplicationesque publicas , quæ  
Deo , spectante populo , fiunt , sancti-  
tas maximè deceat , præcipimus , ut  
omnes in illis , suo ordine , clerici su-  
perpelliciorum alis non ad humeros su-  
blatis , sed ad extremas ulnas demissis,  
interiorem animi fidem , moderatio-  
nemque , toto corporis habitu , præse-  
ferentes , incedant : neque inter se fa-  
bulentur : sed mente in cælestibus de-  
fixa , alta & intelligibili voce canant:  
Antequam ad Cathedralem , aut Matri-  
cem Ecclesiam redierint , Collectaque  
in ea finita fuerit , non discedant . Col-  
lecta in Cathedrali finita , singularum  
in urbe Parochiarum clerici crucem  
suam pari ordine , modestiaque se-  
quentes , ad suas Ecclesias redeant.  
Contra facientes illius processionis emo-

lu-

lumento , & si nullum fuerit , proximè, in eadem Ecclesia , sequenti, quod præsentibus accrescat , priventur.

¶ *Doctorum insignibus solis in Universitate promotis utendum.*

48 ¶ Ut sanctissimarum doctrinarum studia , propositis honorum premiis , excitentur , eaque non nisi dignis tribuantur , vetamus , ne quis posthac in Cathedrali , & reliquis Ecclesiis nostris , Doctoris insignibus utatur , nisi in approbata universitate , arduo examine , iuxta illius universitatis morem intercedente , in Theologia , aut iure Canonico , Doctor fuerit creatus.

¶ *Tormenta bellica , ad Ecclesiæ festivitates , non adhibenda.*

49 ¶ Ut omnis corporalis periculi occasio, & profani Gentilitiique tumultus imago , ab Ecclesiis nostris, removeatur Synodo approbante , prohibemus ; ne ad processiones , aut Mis-

sa-

sarum , festorumque in templis solemnitates , tormenta bellica maiora , aut minora adhibeantur. Publica lætitia , aliisque iustis causis , à nobis approbandis exceptis. Parochi , qui contra hoc nostrum decretum fieri permiserint , duos ducatos , & alias , arbitrio nostro , pœnas pendant.

¶ *Ecclesiarum oblationes non esse locandas.*

- 50 **N**E eorum , qui in Ecclesiis oblationes conducunt , cupiditas aliqua Ecclesiasticum ordinem nota respergat , quem non modo omni malo , sed mali etiam suspicione carere oportet , vetamus , quod in Cathedrali nostra Ecclesia diligenter cautum est , ne , in ceteris Diœcesis nostræ Ecclesiis , ullæ in posterum oblationes locentur. Secus si fiat , locationem irritam , & inanem esse decernimus.

E

¶ Can-

**¶ Candelas in oblationibus , cùm offeruntur , accedendas , & in usus Ecclesiæ consumendas.**

**51** **C**um Sacramentorum ministri omni cupiditatis specie vacare debeant , iubemus , ut cerea funalia , & candelæ , quæ in sacramentis offeri solent , in ipsa statim oblatione accendantur. Parochi , si post oblationem , aut ante , laicis eas vendiderint , aut in alios quam Ecclesiæ usus consumperint , tribus solidis multentur.

**¶ Ecclesiasticis neque per se , neque per suppositas personas , fructus conducendos.**

**52** **G**ut omnes ab Ecclesiastico ordine , cupiditatis radices penitus extirpentur : poenitentia in Concilio Provinciali Valentino , in clericos fructuum conductores , editis , eos etiam constringendos fore , Synodo approbante , statuimus ; qui legum sanctitatem circum-

cumveniendo , non ipsimet , sed per suppositos à se homines , fructus astutè conduixerint. In quorum callidam fraudem , verisimilibus tantum coniecturis probatam , animadvertisendum esse decernimus.

¶ *Calceis sparteis , & cannabinis , & galero , clericis , in Ecclesia , non utendum.*

53 A D ea , quæ in sacrosancto Concilio Tridentino , & in Provinciali Valentino , de habitu clericorum decreta sunt ; illud etiam , in urbe , & Diæcesi nostra , præcipimus ; ut altera saltem , ex duabus exterioribus clericorum vestibus , ita sit ad talos usque demissa , & undique conclusa , ut nulla corporis pars detegi in honestè possit. Cum calceis verò sparteis , aut cannabinis , aut galero , versari eos in templis , aut ullos Ecclesiasticos actus exercere , duorum solidorum , in Sanctissimi Sacramenti luminibus consumendorum , multa prohibemus.

**T** In sacris constitutis nullas personas sustinendas, & spectacula, in Ecclesiis, sine approbatione, non edenda.

**N** 54 In sacris constituti, si in scenam umquam prodierint, Comœdias, Mimos, Histriones egerint, Militum, Feminarum, Parasitorum, aut alias ridiculas personas sustinuerint larvati depensi fuerint, sex diebus, in carcere, pœnas luant. Quod si intra Ecclesiam, aut in processionibus, ad magnas sollemnitates, spectacula, ludi, choreæ adhibenda fuerint, sine nostra, aut nostri Vicarii generalis approbatione, in qua verba, vestitus, locus, tempus diligenter discutiantur, adhiberi non permittimus. Parochus, qui, sine iam dicta auctoritate, spectacula, & alia supraposita in sua Ecclesia gerit, permiserit, duobus ducatis, & aliis, arbitrio nostro, pœnis punietur.

**Ra-**

**¶ Rationalem , & Capsoërium , in singulis Ecclesiis , creando.**

55 **C**um Ecclesiasticum ordinem fidet , & veritas maximè deceant : Synodo approbante , statuimus ; ut excepta Cathedrali , in qua veteri consuetudine observatur , in ceteris Diæcesis nostræ Ecclesiis , ubi plures , quàm sex , clerici fuerint , duo in Rationalem , totidem in Capsoërium , ubi pauciores , duo tantùm , à cleri congregazione , ubi fuerit , aut à Rectore , singulis annis , nominentur. Ex quibus , in maioribus Ecclesiis , unus in Rationalem , alter in Capsoërium ; in minoribus , unus in Rationalem , cui etiam Capsoërii munus incumbat , in hac urbe , à Vicario generali ; extra urbem , à suis Vicariis , approbentur , & elegantur.

Et apud eosdem , munus suum , iuxta formam illis à nobis privatim præscribendam , legitimè se obituros , &

fi-

fidelem successori suo rationem reddituros iurent.

Eorum rationes, & munera functiones à Visitatoribus nostris diligenter examinentur. Quas etiam repeti ab illis volumus, qui soli presbyteri in suis Ecclesiis fuerint. Si secus fiat, electionem irritam esse decernimus.

Quòd si, in prædictis creationibus, aliqua suffragiorum paritas usu veniat, eam partem potiorem esse volumus, quam Præses in electione sequetur.

**T**A regularibus testamentorum executoribus sui munera rationem Ordinario reddendam.

**56** **R**egularibus, & exemptis testamentorum executiones committi, ut nullo iure prohibetur: ita Clementis Quinti constitutione, in Conclilio Viennensi edita, quæ incipit, Religiosis, permisum est; ut locorum Ordinariis Religiosi testamentorum executores eius munera sibi commissi rationem reddant; Ordinarii exigant, contra

tra delinquentes procedant , convictos puniant. Cui nos inhærentes , Synodo approbante , statuimus , ut Visitatores nostri diligenter inquirant , an decedentium voluntates regularibus , exemptisque commissæ , debitæ executioni mandentur. Si quas , executorum negligētia , executioni minimè demandatas repererint , ad nos referant , ut iuxta dictam constitutionem , & alia iuris opportuna remedia , in eos procedere valeamus.

**¶ Clericis cantoribus noctu , in publico , non canendum , aut vagandum.**

57 **G**Antores clericos , in conviviis , choreisve canere , saltare , cithara , aut aliis Musices organis personare , aut noctu , per vicos , ad lascivos cantus , inhonestasque delectationes vagari , prohibemus. Contra facientes primò deprensi , duobus , secundò , quatuor diebus , in carcere pœnas dent.

**¶ Om-**

**¶** *Omnium Simplicium Tonsuratorum nomina in album referenda.*

-58 **Q**uia sacrosancti Concilii Tridentini decretis ut obtemperemus, suis Clericos coniugatos, in Ecclesiis nostris, muneribus, ad Divinum cultum tuendum, amplificandumve necessariis, aut opportunis, destinare, & canonicam hac de re descriptionem instituere cogitamus; quò ea à nobis commodius confici possit, præcipimus, ut omnes nostræ Dioceesis Simplices Tonsurati, intra duos, à fine huius Synodi, menses, in urbe, coram secretario Synodi, extra urbem, coram suis Vicariis, nomina sua edant, quæ gratis in album referantur.

**¶** *Seminarium clericorum, ex Tridentini Concilii decreto, apere riendum.*

-59 **E**minarium clericorum, ab oecumenica Synodo Tridentina, ad Dei

Dei laudem , & Ecclesiastici ordinis incrementum , spiritu Sancto dictante, decretum , in hac urbe erigendum , adaperiendumque esse , & ad dotis , seu reddituum , qui illi assignati sunt , pensionem , omnes , qui , ex eiusdem Concilii decreto, tenentur, compellendos esse , Synodo approbante , statuimus, decernimus , atque declaramus. Quod Divinum Concilii institutum , ut , primo quoque tempore , ad suum finem, exitumque deducatur , sedulò à nobis, pro rei magnitudine , curabitur.

¶ *Pretia Censualium , cùm redimentur, deponenda , scripturas custodiendas, Capbrevationum librum instituendum.*

60 **Q**uia spiritualia , quamdiu hīc militatur , sine temporalibus tueri , obireque non possumus , præcipimus , ut omnes Capellaniarum , & Beneficiorum institutiones, quæ cum annua Censualium pensione, pro dote , ad hunc usque diem , confessæ fuerint , aut in posterum con-

fi-

ficientur , illam omnes clausulam adiectam contineant , ut Censualia redimi , nullo tempore , possint , nisi , ex eorum pretio , novi denuò redditus , primo quoque tempore , emantur.

Quæ redemptio cùm fieri continget , Censualium pretia non apud Beneficiatum , aut Patronum , sed apud Rationalem Ecclesiæ eius opidi , in quo Capellania fundata extiterit , aut alium probum hominem , à nobis nominandum , sine ullis expensis , tantisper deponantur , donec novi denuò redditus , cùm primum fieri possit , omni cautione adhibita , emantur. Quorum emptio ni Patronus , Capellanus , & depositarius intersit.

Capellani , aut Patroni , qui Censualium pretia apud se retinuerint , aut quicumque contra hoc nostrum decre tum fecerint , excommunicationis , & alias arbitrio nostro poenas subeant.

In singulis verò Ecclesiis nostris , omnes Censualium scripturas , & instrumenta , Archivo publico , ubi Archivum non fuerit , arca in Sacristia deposita ,  
cus-

custodiri , eamque arcam duabus clavis diligenter obserari , quarum una à Rectore , vel Parocho ; altera à Vicario , vel presbytero seniore , ubi hi non fuerint , à fabricæ curatore , vel alio notario asserventur.

Omnes quoque Capellaniarum , & Anniversariorum Capbrevationes , à Vicario , Rectore , vel Curato , in unum librum referri , ac redigi , Synodo approbante , statuimus. Ac , ut supraposita omnia inviolatè observentur , Visitatores nostri diligentissimè curabunt.

**¶ Licere clericis , de bonis , ex Beneficiis acquisitis , & de Annata functionis disponere.**

61 **C**Onsuetudini iam inde supra hominem memoriam in hanc nostram Diæcesim introductæ , qua licet clericis , etiam Rectoribus , & Beneficia , Capellaniasque obtinentibus , de bonis , etiam ex Beneficiorum fructibus acquisitis , testamento , vel codicillis disponere , inhærentes , Synodo approban-

bante , statuimus , bona clericis , & Rectoribus , aliisque Beneficia , & Capellanias , obtinentibus , etiam ex fructibus Beneficiorum huiusmodi parta , ad eos , quibus ipsi testamento , codicillis , donationeve , quæ causa mortis , aut inter vivos dicitur , deferenda esse voluerint , liberè pertinere.

Quod etiam , ad fructus illius anni , quo Beneficiatus decesserit , ( quæ dicuntur Annata functionis ) extendimus . Dummodo hi Annatæ functionis fructus , in ære alieno ipsius defuncti dissolvente , domibus ad Beneficia pertinentibus , sartis tectis conservandis , aliisque piis usibus expendantur .

Primitias tamen , ac Capellaniarum fructus semper excipimus , quos futuris successoribus , iuxta eandem consuetudinem , reservari iubemus .

**T**Locationum instrumenta , quibus clausulis , confienda .

62 **N**E clerici sæcularium rerum cura , ac sollicitudine distracti ,

à Divinorum officiorum meditationibus  
avocentur , cùm conductores fructuum  
Decimalium , & aliorum reddituum Ec-  
clesiasticorum , fructibus consumptis,  
magno locatorum dispendio , pretii so-  
lutionem , variis diffugiis , differant , Be-  
neficiatique fructibus locatis , & pretio  
careant , iniustis conductorum tergiver-  
sationibus obviam ut eamus , & cleri-  
corum Deo militantium stipendiis con-  
sulamus , Synodo approbante , decer-  
nimus , quamvis , consuetudine legiti-  
mo tempore introducta , receptum sit,  
conductores huiusmodi ad pretii solu-  
tionem condemnatos , non debere , etiam  
appellationis prætextu , solutionem dif-  
ferre , executionique locum existere : ta-  
men quò ea facilior adhuc , breviorque  
efficiatur ; instrumentis , quæ super con-  
tractibus locationum Decimarum , alio-  
rumque fructuum Ecclesiasticorum con-  
ficientur , submissionis , renuntiationis,  
ceterasque , clausulas adiiciendas fore,  
quæ illis apponi instrumentis solent,  
quæ vulgò GUARENTIGIATA appellantur.  
Eum , qui fructus huiusmodi decetero  
lo-

locaverit , & clausulas prædictas instrumento locationis minimè apponi curaverit ; decem libris , iam nunc hoc nostro decreto , multatum esse volumus.

**¶ Quibus in locis Decimæ ( del carnagge ) solvendæ.**

63 **C**Onsuetudinem in hac Diœcesi inconcussè observatam amplectendo , Synodo aprobaute , statuimus , Decimas animalium, lanæ, & aliorum fructuum ex animalibus provenientium, quæ nostra lingua ( *del carnagge* ) dicuntur, illi Ecclesiæ integrè solvendas esse , in cuius Parochia , quis per maiorem partem anni , domicilium , & lares foven- do , cum uxore , & familia , aut uxor, licet sine viro , cum familia tamen habi- taverit , etiam si vir , cum parte familiæ domicilium alibi collocaverit.

**¶ Am-**

**T** Amplius de Decimis , quæ dicuntur,  
(del carnagge.)

64 **C**Ontingit interdum nonnullos suæ salutis immemores , gregem suum extra nostram Diæcesim , aut etiam intra , ad aliam tamen Parochiam , ad tondendum , cum præiudicio eius Ecclesiæ , cui Decimæ lanæ debentur , transferre , collusioneque cum eius loci Decimatoribus , compositioneque facta , bonam Decimarum partem avertere , aut apud se retinere. Quorum fraudibus , ut obviam eamus , antiquæ consuetudini inhærendo , Synodo approbante, decernimus, dictas Decimas lanæ illi Ecclesiæ integrè solvendas esse , intra cuius fines dominus gregis , ante suum discessum , domicilium , & larem fovendo , habitaverit.

Quod etiam ad eos , qui ante tempus tondendi , totum vel partem gregis venundandam curaverint , tam quò ad Decimam lanæ , quàm fœtus , extendum statuimus.

Eos

Eos verò qui causa apricitatis & pascuorum ( vulgò *del estrem* ) suo tempore sine fraude , armenta , gregesve suos , revera , & facto , transtulerint ; Decimas animalium , pro dimidia tantum , sicut adhuc consuetum , & observatum est , solvere debere declaramus .

Quam etiam consuetudinis observationem ad eos , qui alio quocumque tempore , ex alia Diœcesi ad hanc nostram , ad tondendum , vel ob alias legitimam causam venientes , re vera , & facto , totum vel partem gregis totonderint , extendendam esse iudicamus .

¶ *De Decimarum solutione , & denuntiationibus.*

65 **N**on sunt ferendi , qui Decimas Ecclesiis debitas , variis artibus , fraudare molinuntur . Quoscumque ergo , in nostra Diœcesi , unà cum grege suo , alterius , qui ad integrum solutionem Decimarum lanæ , & fructuum , ( quæ vulgò *del carnagge* dicuntur ) non te-

teneatur , oves , aut alia animalia pa-  
scere asseverantes , nisi id distinctis  
signis , & societatis instrumentis , ple-  
nè probaverint , ad integrum solutio-  
nem Decimarum totius , quem pascunt  
gregis , censuris Ecclesiasticis , & aliis  
iuris remediis , Synodo approbante,  
compellendos esse decernimus .

Eisdemque poenitentiis & remediis affi-  
ciendos , constringendosque esse , qui ,  
& in quarumcumque Decimarum mani-  
festatione , suo , & opportuno tempore  
facienda negligenter se gerunt , & ali-  
bi , quam Decimæ debeantur , mani-  
festare procurant .

**T** Neminem ad secundas nuptias , ante-  
quam de prioris coniugis morte con-  
stiterit , admitten-  
dum .

**66 Q** Uoniam fides , in sacramento  
Matrimonii , religiosissimè  
est observanda , eaque quan-  
doque prioris coniugis morte conficta ,  
secundis , adulterinisque nuptiis , cum  
**F** gra-

gravi solet scelere violari: Synodo approbante, vetamus, ne altero coniugum extra nostram Diocesim defuncto, alter ad alia vota ante convolet, quam de prioris coniugis obitu, legitima probatione, per nostrum Vicarium generali examinanda, plenè constiterit. Parochus, qui huiusmodi, ante probacionem contrahere permiserit, decem diebus in carcere poenas iuat.

**¶ Falsum in denuntiationibus Matrimoniorum impedimentum, qua poena puniendum.**

67 **Q**ui, ad solemnes Matrimoniorum denuntiationes, falsum dolo malo impedimentum iurati opposuerint, poenas à iure in falsos testes latas subeant. Contrà, qui verum consultò impedimentum subtinguerint, si probabilis doli suspicio appareat, excommunicationis, & aliis, arbitrio nostro, poenis se fore plectendos sciant.

**¶ In**

**T**In concubinarios , ex decreto Concilii Tridentini severè animadver- tendum.

**68** **C**Um ad concubinatus turpitudi- nem tollendam , & vitæ ho- nestatem , in commissis nostræ curæ, cùm laicis , tum vel maximè clericis re- tinendam, sanctissima sint in œcumeno Tridentino Concilio duobus decretis in- stituta , ut ea sæpe repetendo altius ho- minum animis infigantur, & in usum,exe- cutionemque deducta , in omnes concu- binarios severius animadvertisatur, utrum- que ea de re decretum hoc loco subii- ciendum decernimus.

**Ex Sess. XXIV. Cap.**

**VIII.**

**G**Rave peccatum est , homines so- lutos concubinas habere : gravissi- mum verò , & in huius magni Sacramen- ti singularem contemptum admissum, uxoratos quoque , in hoc damnationis

statu , vivere , ac audere eas quandoque domi , etiam cum uxoribus alere , & retinere . Quare , ut huic tanto malo sancta Synodus , opportunis remediis , provideat , statuit , huiusmodi concubinarios , tam solutos , quam uxoratos , cuiuscumque status , dignitatis , & conditionis existant , si postquam ab Ordinario , etiam ex officio , ter admoniti ea de re fuerint , concubinas non eiecerint , seque ab earum consuetudine non seiunxerint , excommunicatione feriendos esse , à qua non absolvantur , donec , re ipsa , admonitioni factæ paruerint . Quod si in concubinatu , per annum , censuris neglectis , permanserint , contra eos ab Ordinario severè , pro qualitate criminis , procedatur . Mulieres sive coniugatae , sive solutæ , quæ cum adulteris , seu concubinariis publicè vivunt , si ter admonitæ non paruerint , ab Ordinariis locorum , nullo etiam requirente , ex officio graviter , pro modo culpæ , puniantur , & extra opidum , vel Diocesim , si id eisdem Ordinariis videbitur , invocato ; si opus fuerit

fuerit , brachio sæculari , eiificantur. Aliis pœnis contra adulteros , & concubinarios inflictis , in suo robore permanentibus.

*Ex Sess. XXV. Cap.  
XIV.*

**Q**UAM turpe , ac clericorum nomine , qui se divino cultui addixerunt , sit indignum , in impudicitia sordibus , immundoque concubinatu versari , satis res ipsa , communi fidelium omnium offensione , summoque clericalis militiae dedecore , testatur. Ut igitur ad eam , quam decet , continentiam , ac vitæ integritatem ministri Ecclesiæ revocentur ; populusque hinc eos magis discat revereri , quò illos vita honestiores cognoverit : prohibet sancta Synodus quibuscumque clericis , ne concubinas , aut alias mulieres , de quibus possit haberi suspicio , in domo , vel extra , detinere , aut cum his ullam consuetudinem habere audeant. Alioquin pœnis à sacris Canonibus , vel sta-

tu-

tutis Ecclesiaruni impositis puniantur.  
 Quod si à superioribus moniti , ab his  
 se non abstinuerint , tertia parte fru-  
 ctuum , obventionum , ac proventuum  
**Beneficiorum** suorum quorumcumque ,  
 & pensionum , ipso facto , sint privati ,  
 quæ fabricæ Ecclesiæ , aut alteri pio lo-  
 co , arbitrio Episcopi , applicetur . Sin  
 verò , in delicto eodem , cum eadem ,  
 vel alia femina , perseverantes , secun-  
 dæ monitioni adhuc non paruerint , non  
 tantùm fructus omnes , ac proventus  
**suorum Beneficiorum** , & pensiones ,  
 eo ipso , amittant , qui prædictis locis  
 applicentur , sed etiam à beneficiorum  
 ipsorum administratione , quoad Ordin-  
 narius , etiam ut sedis Apostolicæ dele-  
 gatus arbitrabitur , suspendantur . Et si  
 ita suspensi , nihilominus eas non expel-  
 lant , aut cum iis etiam versentur , tunc  
 beneficiis , portionibus , ac officiis , &  
 pensionibus quibuscumque Ecclesiasti-  
 cis perpetuò priventur , atque inhabi-  
 les , & indigni quibuscumque honori-  
 bus , dignitatibus , beneficiis , ac offi-  
 ciis in posterum reddantur , donec post  
 ma-

manifestam vitæ emendationem , ab eorum superioribus , cum iis , ex causa, visum fuerit dispensandum. Sed si postquam eas semel dimiserint , intermissionem consortium repetere , aut alias huiusmodi scandalosas mulieres sibi adiungere , ausi fuerint , præter prædictas pœnas , excommunicationis gladio plementantur. Nec quævis appellatio , aut exemptio prædictam executionem impedit , aut suspendat. Supradictorumque omnium cognitio non ad Archidiacanos , nec Decanos , aut alios inferiores , sed ad Episcopos ipsos pertineat , qui sine strepitu , & figura iudicii , & sola facti veritate inspecta , procedere possint. Clerici verò Beneficia Ecclesiastica , aut pensiones non habentes , iuxta delicti , & contumaciæ perseverantiam , & qualitatem ab ipso Episcopo , carcenis pœna , suspensione ab ordine , ac inhabilitate ad beneficia obtainenda , aliisve modis , iuxta sacros Canones , puniantur.

¶ Fe-

**T** *Feminas prostitutes in hospitiis non alendas.*

**69** **M**agna bonorum offensione,

& publicæ honestatis detrimento fit , cùm , quæ inter se tanto-pere pugnant , hospitalitas cum lenocinio copulatur. Quod vitium ut ab hac urbe & Diœcesi prohibeamus , sex libris multandos esse , Synodo approbante , decernimus , qui cùm publica hospitia , seu diversoria habeant , feminas prostitutes , aut etiam evidenter impudicas , in suis diversoriis , alunt , aut domicilium fovere , turpemve quæstum facere , patiuntur.

**T** *De stipendis Notariorum Curiæ Ecclesiasticæ.*

**70** **C**uriæ nostræ Notarios , & Scri-

bas , etiam foraneos , omnia , & singula , quæ de suis stipendiis , & mercede , in Provinciali Concilio Valentino definita sunt , & in indice ea

ea de re edito continentur , accuratè  
observare præcipimus.

¶ Casus Episcopo reservati.

71 **U**t quorundam hominum ef-  
frenata licentia opportunis  
possit à nobis remediis coerceri : atro-  
ciorum criminum absolutionem , Syno-  
do approbante , nobis reservamus. Quæ  
sunt huiusmodi.

Hæresis.

Simonia.

Sacrilegium.

Homicidium voluntarium , & per pro-  
ditionem facto , consilio , favore  
admissum.

Nocturna per insidias vulneratio.

Nocturnum segetum incendium.

Aquarum irriguarum perniciosa , aut  
fraudulenta aversio , aut effusio.

Incestus , cui necessaria esset dispen-  
satio.

Parentum percussio.

Abortus procuratus.

Clandestinum matrimonium.

Per-

Periurium in iudicio perpetratum.

Cum bestiis , & masculis concubitus.

¶ *Multarum in hac Synodo impositarum attributio.*

72

**G**Mnes in huius. Diœcesanæ Synodi decretis multæ impositæ , præter eas , quæ ad certos usus suis locis destinantur , reliquas , in tres æquales partes dividendas esse decernimus. Quarum prima fabricis Ecclesiarum ; secunda eleemosynis pauperum; tertia delatoribus criminum , & ministris executionum tribuantur.

¶ *Statuta Synodalia bis quotannis legenda.*

73

**N**E , quæ in hac Synodo ad Dei gloriam , & animarum nobis creditarum salutem , utiliter decreta sunt , temporum diuturnitate, paulatim in oblivionem , desuetudinemque abeant , eademi Synodo approbante , statuimus , ut , singulis annis , in

Ca-

Cathedrali , in capitulis generalibus , in Parochialibus nostræ Diœcesis Ecclesiis , Dominica prima Adventus , & Quadragesimæ , omnia in ea decreta publicè recitentur.

Quorum accuratam , inviolatamque observationem Visitatorum nostrorum fidei , religioni , conscientiæque committimus , & mandamus . Prædicatoresque in Domino hortamur , ut eorum memoriam , quoties commodum fuerit , apud populum nostræ curæ commisum renovandam current.

**¶ Ex sedendi ordine in bac Synodo assignato , nullum cuiquam præiudicium factum.**

74 **¶** **¶** Ec Diœcesana Synodus ul-

lam cuiquam iniuriam , aut præiudicium facere nolens , nullis sibi præsentibus , sive absentibus , ex loco à nobis , seu ab huius Diœcesanæ Synodi graduatoribus , magistrove cæmoniarum , illis assignato , aliquod præiudicium factum , faciendumve pronuntiat,

92 *Decreta Synodi Diæcesanæ.*

tiat , declarat , atque decernit. Quin potius omnibus , & singulis , & quibuscumque suas prærogativas , & iura salva , integra , illæsaque , etiam quoad possessorium , post finem huius Synodi esse , & fore , in eodemque statu omnino permanere in quo ante hanc Synodum extiterunt.

*G. Episcopus Oriolensis.*

*De Illustris admodum ac Reverendiss.*

*D. mei Episcopi mandato.*

*Matbias Fernandez , Notarius ,  
& Secretarius Synodi.*

IN-

INDEX RERUM , QUÆ IN HAC  
Synodo Diœcesana conti-  
nentur.

## A

- A** Brogatio omnium constitutionum, quæ ad hunc usque diem in hac Diœcesi servatæ sunt. Pag. 20.  
*Altaribus non est recumbendum.* pag. 59.  
*Anniversaria proponuntur populo die Dominico.* pag. 57.  
*Anniversaria die Lunæ celebrentur pro animabus Purgatorii , ubi non fuerint alia instituta.* Ibidem.  
*Aqua odorifera non est admiscenda aquæ benedictæ.* pag. 59.  
*Auctiones diebus festis non fiant , nisi finitis vesperis.* pag. 49.

## B

- Breviarium , Missale , & Manuale quæ proximè edentur , recipiantur ab omnibus.* pag. 35.

## C

- Cadavera non bumentur post orationem , quæ fit in crepusculo noctis.* pag. 52.  
 Can-

- Candelæ in Missa non pauciores , quām duæ , accendantur.* pag. 42.
- Candelæ in Sacramentis oblatæ , accendantur , & in usus Ecclesiæ consumantur.* pag, 66.
- Cantores Clerici quibus locis prohibeantur canere , & quibus instrumentis , & noctis vagari.* pag. 71.
- Casus Episcopo reservati.* pag. 89.
- Catechismi summa in linguam vulgarem convertetur.* pag. 21.
- Confessiones non fiant in privatis domibus , nisi infirmitatis , aut alterius necessitatis causa.* pag. 30.
- Confessiones , quibus sedibus , & quo habitu sint faciendæ , & audiendæ.* Ibid.
- Confraternitas Minervæ , à Parochis diligenter commendetur.* pag. 31.
- Confraternitas Eucharistiae , in singulis Ecclesiis instituatur.* Ibidem.
- Confraternitas nominis Iesu , in omnibus Ecclesiis recipiatur , & à concionatoribus populo commendetur.* pag. 32.
- Contractus reddituum Ecclesiasticorum , quibus clausulis fieri debeant.* pag. 76.
- Corporalia , & mappulæ purificatoriæ , ni-*

- nitidè conserventur.* pag. 42.  
*Curati doctrinam Christianam pastores doceant, & quantum profecerint in confessionibus, periculum faciant.* pa. 28.  
*Clerici in Ecclesia non utantur calceis sparteis, aut cannabinis, & galero.* pag. 67.  
*Clerici in Sacris constituti, in Scenam non prodeant.* pag. 68.  
*Clerici de bonis ex Beneficiis acquisitis, & de annata functionis, possunt libere disponere.* pag. 75.

## D.

- Decedentibus ab intestato funus, arbitrio Episcopi fieri debet.* pag. 55.  
*Decimæ ( del carnagge ) quibus in locis solvendæ.* pag. 78.  
*Si grex transferatur alio, cui solvendæ.* pag. 79.  
*Causa apricitatis & pascuorum grege translato, quemadmodum solvantur.* Ibidem.  
*Earum denuntiationes, quemadmodum fieri debeant.* pag. 80.  
*Decreta Concilii Tridentini in concubinarios.* pag. 84.  
*Dies*

*Dies festi colendi in hac Diæcesi.* pag. 47.

## E

*Ecclesiastici neque per se , neque per  
suppositas personas , fructus condux-  
cant.* pag. 66.

*Eucharistiæ sacramentum , octavo quo-  
quæ die renovandum.* pag. 44.

*Euchuristiam , cùm defertur ad infir-  
mos , quattuor , ut minimum , clerici  
comitentur.* pag. 45.

## F

*Famuli ruri degentes , diebus Dominicis  
& festis Missam audiant.* pag. 27.

*Feria quinta in Cœna Domini , clerici ad  
monumentum vigilent.* pag. 46.

*Feria sexta in Parasceve , ante lucem  
non incobetur concio.* pag. 47.

*Feretra non deferantur à constitutis in  
sacris.* pag. 53.

*Fideles quo tempore teneantur sumere Eu-  
charistiam à proprio Parocco.* pag. 25.

*Feminæ in hospitiis prostitutæ non alan-  
tur.* pag. 88.

*Forma persolvendi officii divini in cho-  
ro.* pag. 36.

## Ga-

## G

*Galeri non sunt imponendi altaribus.* pa. 59

## H

*Hostia qua ratione ad altare sit defe-  
renda.* pag. 42.

## I

*Imagines crucis , virginis Mariæ , &  
aliorum sanctorum in domibus privatis  
reponantur.* pag. 62.

*Impedimentum falsum qui obiecerit in de-  
nuntiationibus matrimonii , aut qui  
verum tacuerit , qua pœna afficien-  
dus.* pag. 82.

*Inambulationes in templis prohibitæ.* pa. 58.

*Insignia Doctorum , Doctoribus in Uni-  
versitate promotis concedantur.* pag. 64.

*Interfectorum cadavera non sunt clam  
bumanda.* pag. 56.

## L

*Lecti non sternantur in funeribus.* pag. 53.

*Libri novi de fide, aut moribus, non spar-  
gantur sine approbatione.* pag. 33.

*Liber Cabbreviationum reddituum Eccle-  
siasticorum instituatur.* pag. 75.

## M

*Magistri pueris instituendis , publicè non*

## G

*præ-*

*præficiantur , nisi prius fuerint examinati, de moribus, & doctrina.* pag. 34.  
**Missæ operariis , & infirmis reserventur.** pag. 50.

*Missæ defunctorum diebus Dominicis non decantentur.* Ibidem.

*Multarum distributio.* pag. 90.

**N**

*Nuptias secundas nemo contrabat , nisi prius de prioris coniugis morte constiterit.* pag. 81.

**O**

*Oblationes Ecclesiarum non locentur.* p. 65.

*Officia multa matutinorum votivorum simul in eadem Ecclesia non decantentur.* pag. 41.

**P**

*Parochi catechismum assiduè legant.* p. 21.

*Parochi doceant populum doctrinam Christianam Dominicis & festis diebus inter Missarum solemnia.* pag. 22.

*Parochi informent animos puerorum & puellarum pietate in Deum , & obedientia in parentes diebus Dominicis & festis.* Ibidem.

*Parochi bortentur populum , ut quater in anno*

- anno Eucharistiam sumat.* pag. 23.
- Parochi bortentur pastores ad audiendam Missam diebus Dominicis & festis.* pag. 27.
- Parochi singulis mensibus semel visitent pastores, & famulos ruri degentes.* pag. 28.
- Parochi doceant conversos à Mabometanis eam doctrinam, & catechismum, qui edendus est in eorum gratiam.* pag. 29.
- Pastoribus Rosaria emantur ad orandum.* pag. 28.
- Pœna imponitur pastoribus, non audiencibus Missam diebus Dominicis & festis.* Ibidem.
- Populus quibus diebus ad suam Parochiam convenire debet.* pag. 26.
- Præiudicium nemini factum ex ordine sedendi in hac Synodo.* pag. 91.
- Prælati Ordinum transmittant fideles ad suas parochias in Dominicæ resurrectionis festivitate, ut à propriis Parochis Eucharistiam sumant.* pag. 25.
- Pretia censualium Ecclesiasticorum cum redimuntur, deponantur.* pag. 73.

- Processiones quemadmodum comitari debeant clerici.* pag. 63.  
*Professio fidei.* pag. 13.

**R**

- Rationalis, & Capsoërius in singulis Ecclesiis constituuntur.* pag. 69.

- Receptio Concilii generalis Tridentini.* pag. 18.

- Receptio Concilii Provincialis Valentini.* pag. 19.

- Regulares executores testamentorum, Ordinario rationem reddant.* pag. 70.

**S**

- Sabbatis à visceribus, intestinis, & tomaculis respirantium abstinendum.* pag. 20.

- Sacella privata, sumptibus Patronorum adornentur.* pag. 60.

- Scripturæ censualium Ecclesiasticorum, ubi custodiri debeant.* pag. 73.

- Seminarium clericorum ex decreto Concilii Tridentini faciendum.* pag. 72.

- Sepultura cuius auctoritate concedenda.* pag. 61.

- Nihil pro ea dandum.* Ibidem.

- Spectacula in Ecclesiis non fiant sine approbatione.* pag. 68.

Sta-

*Statuta cuius Synodi quotannis legenda.* pag. 90.

*Stipendia Notariorum curiae Ecclesiasticae quemadmodum solvenda.* pag. 88.

*Symboli decantatio in Missa, non interrumpatur musices instrumentis.* pag. 44.

## T

*Tabella decens deferendo osculo pacis, intra duos menses fiat, ubi non erit.* pa. 43.

*Tonsurati simplices, gratis in album referantur.* pag. 72.

*Tormenta bellica neque in Ecclesiis, neque in processionibus adhibeantur.* pag. 64.

## V

*Viduae in maritorum morte non se abstinent a templis, sed ea frequentent.* pag. 54.

*Ad Evangelium assurgant.* Ibidem.

*Viri adstantes ad labium aquae benedictae prohibeantur.* pag. 59.

*Viri a feminis in Ecclesiis, distincto loco sedeant, præterquam in die commemorationis defunctorum.* pag. 61.

**PINIS.**

TABLA DE LOS DERECHOS  
 Funerales para todas las Iglesias del  
 Obispado de Orihuela , ordenada por  
 mandado del muy Ilustre y Reverendi-  
 simo Señor Don Gregorio Gallo , Obis-  
 po de Orihuela , en la conclusion de  
 la Synodo Diocesana celebrada  
 á 19. de Mayo , de  
 1569.

**P**rimeramente se ha de presuponer  
 que todos los Sacramentos se da-  
 rán graciosamente , como es de dere-  
 cho.

¶ Item , que el Rector , ó Curado  
 baya en la administracion del Sacra-  
 mento del Bautismo , la offerta que le  
 querrán dar , y la capita , y cirio : y si  
 la Comadre truxere capita , provea el  
 Rector , ó Curado de capita , y den por  
 ella nueve dineros ; y si no truxere ci-  
 rio , den por el tres dineros.

¶ Item , que las tres moniciones de los  
 que quieren contractar Matrimonio , se  
 bagan publicamente en la Iglesia por el  
 pro-

propio Rector , ò Curado de los contrabien-  
tes en tres dias de Domingo , ò fiesta de  
guardar ; y baya el Rector , ò Curado  
un sueldo por el trabajo de todas tres.

¶ Item , que el Sacramento del Ma-  
trimonio , vulgarmente dicho Desposo-  
rios , se baya de administrar graciosamente  
por el propio Rector , ò Curado ,  
de la desposada ; la qual baya de oir  
Misa en la Parroquia donde habitará  
aquella , de la qual Parroquia es la ca-  
ridad de la Misa , Bendicion , y Ofren-  
da ; y por la caridad de la Misa , y  
Bendicion se den quatro sueldos y me-  
dio. Y si en una misma Misa se diere  
